

DISSERTATIO THEOLOGICA  
VERAM NOTIONEM ET INDO-  
LEM REGNI DEI E SERMO-  
NIBUS CHRISTI  
ENUCLEANS,

Q U A M ,

*Conf. Max. Ven. Facult. Theol. Aboëns.*

P R A E S I D E

*Mag. GUSTAVO GADOLIN,*  
*S. S. Theol. Prof. Reg. & Ord.*

Publicæ censuræ subjicit

*JOH. HENR. FATTENBORG,*  
*Juris Nat. & Hist. Adj.*

In Audit. Physico die XIV. Novembr. MDCCCVII.  
H. a. m. c.

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.





Omnium fere phrasium ac locutionum quas a sanctissimo nostro Salvatore in divina doctrina tradenda adhibitas esse legimus, nullam repiriri formulis βασιλείας των ουρανῶν, βασιλείας τοῦ θεοῦ aut βασιλείας simpliciter positæ frequentius usurpatam nullamque significationum varietate ac multitudine magis conspicuam nemini in sacris litteris vel pa- rum versato notum non est. Quum autem multi- plex ac varius cujuscunque vocabuli aut phraseos usus negotium interpreti plerumque faciliere soleat, haudquaque magnopere mirandum est, si hæ quo- que dicendi formulæ virorum doctorum exercue- rint ingenia. Late enim patet salutaris doctrinæ a Jesu institutæ vis & plures ejus sunt affectiones. Quare si usu eveniat (quod re vera accidisse vide- mus), ut eadem vox, aut una formula ad plures ea- rum singulatim definiendas adhibeatur, qui fieri posse, ut illa nonnullis saltim in locis non sit ad

A

ex-

explicandum abstrusior & ad intelligendum difficultior? Verum enimvero quamquam diffitendum non sit, formulas has in quibusdam Novi Testamenti dictis tanta laborare ambiguitate, ut pro certo vix semper affirmare liceat ad quodnam significationum genus referri debeant, tamen in aliis locis iisque permultis ea se commendant perspicuitate, ut ipsam doctrinam sub figurata hac dictione latentem eruere ac intelligere omnino queamus. Sed quorsum haec? ut melius intelligi posit omnem *de regno Dei* questionem, si diligentius instituatur, ab ipso usu formularum βασιλείας των ουρανών κ. τ. λ. biblico incipienda esse. Igitur in hac quoque Dissertatione, primum notiones phrasium biblicas exponemus, & deinde quid de indole Regni Dei sentiendum sit paucis demonstrabimus; ita tamen ut omnia potissimum e sermonibus Christi derivemus.

Ne autem origines formularum nostrarum omnino praeteriisse videamus primum universim observandum est, notiones istas & dicendi formas quibus in salutari doctrina proponenda usi sunt Christus ipse & qui Novi Testamenti libros concinnarunt Apostoli minime ab illis primum fuisse inventas, sed quales jam longe ante eorum tempora Iudeorum mentibus infixae hærebant, eorumque tum libris sacris, tum sermone familiari pervulgatae erant, tales illos recipisse, ad suas utilitates convertisse, si opus esset emendasse, novis significationibus auxisse

se & ad novæ doctrinæ rationes composuisse (a). Deinde tanto minus dubitandum est hoc idem de formulis quoque βασιλείας των ουρανῶν, θεοῦ & βασιλείας valere, quanto plura ac graviora exstant argumenta, quæ ratum omnino faciunt illas ad amusfin respondere phrasī Rabbinico-Hebrææ מֶלֶכְתִּים שֵׁה adeoque ei matri origines suas debere acceptas. Quod enim ad formulam βασιλείας των ουρανῶν attinet, nemo certe negabit illam vocabula Hebraica ad verbum reddere. Idem autem de βασιλείᾳ τῷ θεῷ valere abunde testantur vetustiora Ju-dæorum scripta, in quibus vocabulum מֶלֶךְ שׁ pro ipso Deo poni vel centies legitur (b); & βασιλεία nude posita elliptica est dicendi forma cui vocula οὐρανῶν aut θεοῦ subjungi debet. Sed aliæ quoque hic accedunt rationes, quæ formulas Græcas ex Hebræo fonte primum effluxisse probant. Quam-

A 2

quam

(a) Vide ipsa B. KOPPII verba in Exc. 1:mo in Epist. 1:mam ad Thefs.

(b) A re nostra alienum non erit unum exemplum testimoniī loco heic adscripisse e CHRIST. SCHOETTGENII Hor. Hebr. & Talmud. Vol. I. p. 173. Exstat autem illud apud R. Jechonja in libro Bahir. *Unde hoc habemus quod coelum sit Deus S. Benedictus?* Resp. *Ex loco I. Reg. VIII. 32. וְאַתָּה תִּשְׁמַע הָשָׁמִים* & tu audias, o Coelum! *Num vero Salomon coelum adoravit, ut exaudiret preces suas?* Verum illud cuius nomen adoratur super coelos, de quo scriptum est ibid. v. 27. Coelum & coeli coelorum non comprehendent te, est nomen Dei S. B.

quam enim pro certo statuere non audemus, utrum  
 Judæi originem illius מלכות השמים primum peti-  
 verint e DAN. VII. 14. et huic (scil. בר א נו שׁ) data  
*est tanta potestas, dignitas ו מלכו & Regnum, ut o-*  
*mnes omnium linguarum populi & nationes eum cole-*  
*rent. Potentia ejus æterna est, quæ non desinet,*  
*ו מלכotta & Regnum ejus non destruetur;* (quæ qui-  
 dem C. SCHOETTGENII sententia est in Dissert. de  
 Regno coelorum) an ex aliis Veteris Testamenti  
 oraculis illud deduxerint, tamen constat inter o-  
 mnes in Hebræorum antiquitatibus vel mediocriter  
 versatos, formulam hanc in primis post tempora ex-  
 filii Babylonici in deliciis apud Judæos haberi coe-  
 ptam fuisse, a doctoribus eorum in religionis capi-  
 tibus tradendis varie usurpatam, & ob hunc fre-  
 quentiorem usum ita tritam, ut Christi Apostolo-  
 rumque ætate inter plebem quoque vulgarissima es-  
 set ac notissima. Sed de significatione formulæ  
 מלכות השמים, quod in tota hæc disquisitione sum-  
 mum est, dubitatum quoque esse video. Docent  
 quidem interpretum plures, eam in libris Judæorum  
 denotare, partim totam oeconomiam Mosaicam &  
 obedientiam ei ab omnibus Judæis præstandam,  
 partim preces ad Deum fundendas & alia id genus: an  
 vero antiquiori ævo & ante Christi tempora illud  
 quod Judæi exspectabant Messiae regnum hoc no-  
 mine vel in scholis vel in familiari sermone voca-  
 tum fuerit, id ex iisdem Judæorum scriptis satis  
 testa-

testatum non habent (c). Quamquam autem volumina Judaica ad hanc significationem vindicandam talia non præbeant argumenta, ut nullus dubitationi locus relictus sit, tamen in primis e quibusdam Novi Testamenti dictis admodum probabile videtur, Judæos longe forsitan ante adventum Christi hanc quoque vim inter alias significationes suo פָּלָבִית מִתְּמִימָן adjecisse. Unde enim JOHANNES Baptista putandus est suum mox adventurum mutuasse regnum coelorum, quo tamen nomine tempora Messiae significare voluit, ut vel e legatione ejus ad Christum missa (LUC. VII. 18.) colligere licet? Unde profecta est interrogatio Pharisæi, (LUC. XVII. 20.) ποτε ερχεται ον βασιλεια της Ιησου? Unde Apostolorum aliorumque hominum opinio, qui omnes statim ac βασιλειαν των ουρανων vel Ιησου ore prolatam audirent, mox de imperio Messiae cogitasse videntur? Quibus addi potest illa omnibus Judæis a remotissimis temporibus communis Messiae exspectatio, qua rudior saltim plebs omnia quæ de Messia a prophetis didicerat ad regis regnique splendorem referre ita svelta esset, ut Messiae adventum cum ruentis imper-

c) Vulgatiores formulæ quæ apud Judæos doctores tempora Messiae designant certe sunt: *dies postremi, finis dierum, saeculum futurum, futurum ad veniendum, mundus supernus, dies consolationis* etc. Conf. C. SCHOETGENIUS l. c. Vol. II. p. 29.

imperii instaurazione semper conjungere soleret (d). Quæ cum ita sint, non longe a veritate remoti videamus, si credamus, Judæos jam ante tempora Christi טַלְכּוֹת הָמֵשׁ de Messiæ adventu intellexisse; quod, cum aliæ quoque accedunt rationes, tantam vim habet, ut illæ notiones, quas cum hac forma conjungere solebant Judæi, in variis Novi Testamenti βασιλείας των ουρανών & ἡεώ significationibus dijudicandis ita necessariæ sint, ut hæc vix ac ne vix quidem sine illis bene explicari & intelligi queant. Sed hæc haçtenus: ad significationes harum formularum in Novo Test. obvias nunc veniamus.

In hoc vero opere perficiendo nobis inprimis obstat Cel. Joh. B. KOPPII sententia, (in Excurs.

1:0

---

d) Neque nostram caussam plane indefensam relinquunt testimonia Judaica: quin potius duo satis firma inveni apud SCHOETTGENIUM I. c. Vol. I. p. 1150 & Vol. II. p. 22. Alterum legere est in Targum. ad MICHÆ verba Cap. IV. v. 7. בָּהָר צִיּוֹן וְמִלְךָ יְהוָה עַל־יִהּוּדָה & regnabit super illos Jehovah in monte Zion; quæ de Mesfia explicari solita ita reddit Paraphrastes Chaldæus: & revelabitur Regnum coelorum in monte Zion; unde efficitur Mesfiam in monte Zione regnante & regnum coelorum apud Paraphrasten eandem vim tenere. Alterum exstat in Schir Haschirim rabba Fol. 15. 2. Quando tempus accedit quo regnum coelorum revelabitur tum implebitur illud ZACH. XIV. 9. Verba autem ZACHARIÆ de Mesfia interpretabantur Judæi.

ro ad t:am Epist. ad Thesl.) qui multis rationibus probare conatus est, his Novi Test. formulis tantum significari *solenne illud Christi regnum quod post mortuorum resuscitationem insigni maiestate ac imperio ab illo inaugurabitur.* Nostræ opellæ ratio non permittit, ut argumenta Kopiana singulatim excipere aggrediamur. Neque id hoc loco necesarium videtur, cum ab aliis jam factum sit (e). Generatim tantum monebimus hoc; quod cum Religio Christiana latiori sensu sumta omnia commoda a Jesu hominibus parata non solum ad futuram, verum etjam præsentem mortalium conditionem spectent, (quod posterius a Christo dum in his terris versatus est ut sapientissimo doctore negligi vix potuit) totius rei rationi ægre congruum videtur, ut omnem vocabulorum vim, quibus novam salutis œconomiam significare voluerit Christus, in futuri splendidioris regni exspectatione unice posuisse. De cetero brevis nostra variarum significationum recensio Kopianæ rationi contraria erit.

Ut igitur ordinem quendam in significationibus formularum βασιλειας των ουρανων κ. τ. λ. constitutis servare & feriem earum sequi possumus, omnibus aliis præmittenda est ea notio, qua significant *Regnum illud visible ac terrestre quod non solum Ju-*  
*dæo-*

e) Inter quos eminet J. CHRISTOPH. DOEDERLEIN in Institut. Theol. Christ. T. II. p. 261.

dæorum vulgus, verum etjam aliquamdiu Apostoli credebant a Jesu esse instaurandum. — Sperabant nempe Judæi & omnino in deliciis habebant sperare id fore, ut venturus illorum Messias non solum gentem suam ab imperii alieni jugo liberaret, verum etiam totius orbis terrarum regna ejus potestati subjiceret; quod ut mox eveniret tempore in primis Christi tanto avidius exspectabant quanto vehementius libertatem jamjam amisam dolebant. Dulcedine hujus spei illecti, permulti eorum pronas aures sermonibus Christi de regno cœlorum accommodare incipiebant; quorum verum sensum quum nec inteligerent, nec diligentius scrutari curarent, facile sibi persuadebant, Jesum fore illum a prophetis prædictum & promissum Messiam & liberatorem, qui nutantem rem publicam restitueret, hostes subigeret totamque civitatem Judaicam omni gloria ac felicitate condecoraret. Cujus significationis vestigia cum plura in Novo Testamento occurrunt, tum in primis conspiciuntur in matris filiorum Zebedæi petitione (MATTH. XX. 21. εἰπε, ἴνα καθίσωσιν ἐτοι οἱ δύο γίοι μου, ἐις εκ δεξιῶν σοι, καὶ ἐις εξ ευωνυμῶν, εν τῇ βασιλείᾳ σοι) eorum qui Hierichuntem incolebant opinione (LUC. XIX. 11. καὶ δοκειν αὐτοῖς ὅτι παραχρῆμα μελλει ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ αναφανεῖται) & frequentibus discipulorum Christi disputationibus de principatu in regno ejus. Cfr. MATTH. XIIIX. 1. coll. cum MARC. IX. 33. 34. X. 37. LUC. IX. 46. ACT. I. 6.

Longe

Longe autem alio, eoque sublimiori, sensu occurrit phrasis nostra in formula *ηγγινεν η βασιλεια των οντων*, a Jesu ipso (MATTH. IV. 17 X. 7.) usurpata; quæ, sive *de regno Messiae explicueris*, haudquaque imperium quoddam vi & armis splendidum, sed institutione & doctrina clarum innuit; sive speciatim *de nova doctrina a Jesu instituta*; in utroque loco ita intelligenda est, ut aut *ipsa initia regni vere Messiani significet*, aut *ipsum tempus*, quo Christus, his terris datum, novam doctrinæ salutaris formam instaurare cœpit. Quæ res, quamquam exiguo discrimine sejunctæ sint, tamen, cum aliquid intersit, eam habent vim, ut dubitari posse, an JOHANNES Baptista, qui prior his verbis usus est, eodem ac Jesus sensu illa adhibuerit? Licet autem difficile sit aliquid certi in hac quæstione definire, in primis propter dubia a JOHANNE ipso significata; (MATTH. XI. 3. συ ει δε ερχομενος; η ετερον προσδοκωμεν;) tamen, cum JOHANNES de vera indole & natura missionis Christi satis explicatas & claras notiones habuisse videatur, (quod e Joh. III. 27 36. colligere licet) summa probabilitatis specie se commendat eorum opinio, qui formula ista, ore JOHANNIS prolata, in universum significari putent hoc: *tempus illud adesse, quo comparitus sit nobis a Deo promissus Mesias, qui maiestate vere regia & divina orbem terrarum gubernaturus sit, & omnigena felicitate beaturus.*

Videmus igitur e MATTHÆI loco nuper citato;

B

Chri-

Christum statim a primo momento, quo doctorem agere inciperet, grande quod ab illo perficeretur opus, βασιλείαν τῶν οὐρανῶν vocasse. Regnum quoque constituit, non quidem adspectabile, sed tanto illustrius, quanto longius a visu remotum; quod cum εντος ἡμῶν εἴναι h. e. in animis nostris, inesse dicit, (LUC. XVII. 27.) simul indicat, nos homines ejus cives esse. Cum autem omnia, ut jam dictum est, quae ad totam civitatis suae formam pertineant, communī βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν nomine comprehenderet Christus, haud dignatus est eodem honorifico nomine decorare cives suos, seu cœtum eorum, qui huic imperio nomina lubenti animo dedere. Quare haud raro βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν κ. τ. λ. in sermonibus Christi *señatores* ejus, seu, ut mox appellati erant, *Christianos*, eorumque societatem i. e. Ecclesiam significat. Sic v. c. MATTH. XI. II. Christus ipse testatur, μηροτερον εν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν h. e. minimum i. ignobilissimum eorum, qui ejus doctrinæ addicti sunt, nominis celebritate ipsum Iohannem vincere: & PETRO dicit (MATTH. XVI. 19.) δωσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, i. e. tradam tibi claves Ecclesiae meæ; quæ dicta, ut alia permulta taceam, satis superque hoc significationum genus probare videntur.

Cum autem tanta exspectatio regni Messianii Judæorum mentibus infixa eset, tantæque spes de futuro ejus splendore ac cum illo conjuncta felicitate

ab

ab illis conceptæ, ut nihil majus, nihil præstantius ac felicius ne cogitandum quidem eset; quod aptius nomen ad totam vim & ambitum novæ doctrinæ instituendæ comprehendendum, & ad audientiam in illa proponenda faciendam fortius inveniri posset, quam formulæ βασιλειας των ουρανων κ. τ. λ. qua illustri denominatione insignire conserverant id quod omnium rerum summum reputabant iidem Judæi, quibus primum Salvator noster Religionis suæ præcepta traderet? Atque hinc factum est, ut βασιλεια των ουρανων, βασιλεια της θεου, aut simpliciter βασιλεια saepius in Novo Testamento pro ipsa *Religione Christiana* posita reperiatur. Ne autem quidquam sine idoneis testimoniiis a nobis dictum videatur, probationis loco afferrantur vel MATTH. XIII. 11. ὥμιν δεδοται γνωναι τα μυσηρα της βασιλειας των ουρανων i. e. vobis datum est abstrusiores Religionis meæ (i. Christianæ) doctrinas (parabolarum scil. involucro tectas) intelligere; & ibid. vers. 52. πας γραμματευς μαθιτευθεις τη βασιλεια των ουρανων, h. e. quilibet in doctrina Christiana tradenda bene versatus. Neque non ad hoc significationum genus pertinent formulæ vel centies occurrentes: ὅποια εσιν i. ὡμοιωθη ή βασιλεια των ουρανων i. της θεου, & ἐτως εσιν ή βασιλεια της θεου, ως; quæ commode hoc modo reddi atque intelligi possunt: eadem est ratio religionis i. doctrinæ meæ, ac cet; quarum similitudinum permultæ tam clare fata religionis Christi in hac terra adumbrant, ut haudquaquam omnes, sine vi contextui ac seriei orationis illata, ad futu-

rum tempus unice referri possint. Denique in transcurſu monebimus, hanc Græcarum formularum vim ab uſu τε **השׁמִיתָ מְלֹכֶת** apud Judæos doctores non prorsus abludere. Etenim illi haud raro regnum cœlorum in ſe fufcipere, pro veram Religionem profiteri dicunt (f).

At inter illas ſignificationes, quas formulæ noſtræ in Novo Testamento obtinent, haud insolita eſt notio, qua *omnem felicitatem per Christum hominibus partam* denotant; inprimis autem æternam illam ſalutem, quæ in hac vita ſperatur & in futura tandem obtinetur. Exempla hujus ſignificationis æque multa ſunt ac indubia. In MATTH. VI.33. Christus ipſe his verbis adhortatur diſcipulos ſuos: ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τε θεοῦ h. e. operam date omnium primo, ut bona meis civibus parata conſequamini; quo in loco βασιλείᾳ τε θεοῦ opponitur bonis terrestribus, de quibus in prioribus verſiculis dictum eſt; et alibi (MATTH. V.3. 10.) affirmat, βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν pertinere ad πτωχεῖς τῷ πνευματὶ καὶ δεδιωγμένες ἐνεκεν δικαιοσύνῃς; ubi tota orationis ſeries de felicitate Christiana nos cogitare jubet, & quidem inprimis de futura ſalute, ſtabili ac nullis mutationibus obnoxia, quam ipſe (MATTH. XXV.34.) vocat τὴν ἡτοιμασμένην βα-

---

f) Cfr. hac de re SCHOETTGENIUS, (I. c. Vol. I. p. 1157) qui multa loca ad hanc dictionis Judaicæ notionem vindicandam e Talmudistarum ſcriptis congeſit.

βασιλείαν από καταβολής τε κοσμώς, ubi δικαιοὶ εξ-  
λαμψοῦ ὡς ὁ ἥλιος. Cfr. præterea MATTH. VI. 29.  
VII. 21. MARC. IX. 46. 47. LUC. XIII. 28. XIV.  
15. Cum autem ejus sit indolis regnum Dei, ut omnis  
generis salutem suis cibibus præstet, felicitatis quo-  
que notio, quæ in βασιλείᾳ τε θεοῦ inest, latissime  
patere videtur, & per omnia alia significationum ge-  
nera ita diffundi, ut quamquam alia quædam vis  
speciatim innuatur, eodem tamen in loco felicitatis  
idea simul subjuncta sit; quod cum ista opinione,  
quam sibi de regno Messiae formare solebant Judæi,  
conjunctionissimum quoque videtur.

His igitur notionibus ita constitutis, ad illam  
denique accedimus της βασιλείας των ουρανῶν signifi-  
cationem, quæ similitudinem quoque eum Iudeorum  
de regno Messiae opinione referens regnaturi Christi  
majestatem in primis exprimit. Quemadmodum enim  
Judæi multa ac magnifica de Messiae regno prædi-  
care solebant, sic etiam Christus, verus ille Messias  
βασιλεὺς, (MATTH. XXI. 5. XXV. 31. 34.) βασιλεὺς &  
βασιλεῖαν tenere (LUC. I. 33.) dicitur. Hinc sit, ut  
βασιλεία των ουρανῶν & τε θεοῦ nonnunquam deno-  
tet, partim *invisibilem* illam regnandi vim ac majesta-  
tem, qua Christus in his terris ecclœ euram agit, do-  
ctrinam promovet, suosque cultores trahit, partim  
soleenne illud ac splendidum imperium, quod post defun-  
ctorum in vitam redditum æquo justoque iudicio super o-  
mnes ferendo potenter exercebit. Huc pertinent loca:

MATH.

**MATTH. XVI.** 28. certe vobis affirmo, quosdam eorum, qui heic adstant morituros non esse, ἐώς αὐτὸν τὸν θνῶν τὸν αὐθεωπότερον εὑρομένον εν τῇ βασιλείᾳ ἀντόπει h. e. antequam viderint filium hominis regiae maiestatis vim exercentem; (Cfr. MARC. IX. 1.) & LUC. XXI. 31. cum hæc omnia fieri videtis, intelligite, ὅτι εγγὺς εστιν ἡ βασιλεία τὸς θεοῦ i. e. instaurationem imperii mei jamjam adesse; quibus in locis, quid aliud βασιλείᾳ τὸς θεοῦ significari potest, quam imperium illud invisibile ac coeleste, quod Christus statim post ascensum in cœlos sibi assunxit, & cuius insignia documenta mox futura erant Spiritus sancti missio, inopinata doctrinæ salutaris propagatio, & in primis prædictum ab illo civitatis Judaicæ excidium, quod απολυτρώσει (LUC. XXI. 28.) h. e. liberationem a persecutionibus Iudeorum doctoribus religionis Christianæ præstaret, & sic multa impedimenta doctrinæ propagandæ et meo tolleret (g)? Idem quoque imperium certe intellexit latro una cum Christo cruci affixus, dicens: μνηστού με, κυρίε, ὅταν ελθής εν τῇ βασιλείᾳ σου, h. e. mei memor sis, cum in imperii tui possessionem veneris; & speciatim ut judex in regno suo sistitur Christus MATH. XIII. 41. seqq. ubi, parabola de lolio explicata, his utitur verbis: αποστελεῖ ὁ θεός τὸν αὐθεωπότερον αὐγελέσθε αντόπει, καὶ συλλεξθεῖσιν εκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πάντα τὰ σκανδαλα - - - καὶ βαλεσθεῖσιν εἰς τὴν καρνα-

---

g) Cfr. J. G. ROSENmüLLERI Schol. in Nov. Test. T. I. p. 317.

καμινον τε πυρος --- τοτε δικαιοι εκλαμψοσ αις ιδιοις  
εν τη βασιλειᾳ τε πατρος αυτων; quod idem valet de ju-  
diciaria formula, quæ occurrit MATTH. XXV. 31-  
46.

Hæc sunt illa varia significationum genera,  
quæ in sermonibus Christi formulæ βασιλειας των  
ουρανων, βασιλειας τε θεος & βασιλειας obtinere vi-  
dentur. Quamquam autem in illis explicandis eam  
fecuti simus rationem, ut ipsa natura atque indoles  
Regni Dei simul quodammodo intelligi possit, tamen,  
cum occasio nobis non fuerit omnia persequendi quæ  
ad institutum pertinent, pauca quædam huic loco sub-  
jungemus. Primum igitur in transcurso quasi mone-  
bimus, βασιλειαν των ουρανων & θεος idem esse ac  
βασιλειαν τε χριστου, qua dictione in scriptis suis non-  
nunquam utuntur Apostoli; v. c. PAULLUS, qui EPH.  
V. 5. βασιλειαν τε χριστου και θεος conjungit. Que-  
modom enim, ex vulgari Judæorum opinione,  
unctus Jehovæ, פַּיְשׁוּ (quod nomen Hebraicum re-  
spondet Græcorum vocabulo τε χριστου) olim το  
מֶלֶךְ הַמִּכְדָּשׁ instauraturus ac gubernaturus eset; sic  
etiam Christus, qui verus est Mesias a prophetis  
prædictus, doctrina sua βασιλειαν των ουρανων revera  
constituit, ejusque imperium morte sua sibi acqui-  
sivit suumque fecit; ita ut merito se βασιλεα (MATTH.  
XXV. 34. coll. cum vers. 31.) vocare poscit, &  
LUC. XXII. 69. de se ipso prædicare: απο τε πυρον εσαι  
ο θεος

ἢ οἵος τε αὐθέρωπτος παθημένος εἰς δεξιῶν της δυνάμεως τε θεοῦ Summam igitur imperii tenet χριστός εἰς τὴν βασιλείαν τῶν ουρανῶν; ac eum omnia a Deo Patre accepta, (Ιον. V. 27. 30. XIII. 3. XVII. 2.) adeoque hanc etiam regnandi vim ac majestatem sibi traditam esse dicit, facile intelligitur, hæc omnia Christo homini esse data. Si enim ad divinam Christi personam spectemus, eodem cum Deo Patre honore venerandus est, cui nihil dari, nihil detrahi potest. Sed Christum hominem dei βασιλευειν αχεις αὐτῷ παντας τες εκθέργες ὑπὸ τες ποδας ἀντε. I. COR. XVI<sup>o</sup>. 25.

Sed ut ipsa indoles Regni Dei melius intelligatur, omnes Christi de illo sermones ad duo potissimum capita referri possunt. In hac enim re expouenda ita versatur Salvator noster, ut aut demonstret, regnum a se instaurandum haudquam civile esse quoddam ac terrestre imperium, aut ostendat, illud totum esse *Morale*, ad emendationem hominum veramque eorum felicitatem ac salutem spectans. Nobis forsitan, qui ex eventu etiam de consilio Christi judicare possumus, mirum videatur, id ei necessarium fuisse, tam multis verbis & tam saepe animos auditorum a visibilis regni expectatione avertere. Sed civilis rerum Judaicarum status Christi ætate longe miserrimus, Judæorum fastus & magna de se sentiendi lubido, falsæ eorum de Messia opiniones, nec non certissima eorum per-

perswasio de divina religionis Mosaicæ origine ac  
 perpetua auctoritate in causa erant, cur Christus  
 ad hanc materiam iterum iterumque recurrere opus  
 haberet. Quanto autem clarius nobis sit, Christum  
 numquam terrestre regnum affectasse, tanto etiam  
 breviores in hac re tractanda esse possumus. Cui-  
 que enim historiam Jesu diligentius consideranti pa-  
 tet promptumque est, eum semper talem observasse  
 vitae tenorem, ut rerum novarum cupidus fuisse  
 numquam videri posit. Cum omnis pompæ &  
 externi splendoris, opum ac facultatum alienissi-  
 mus erat, ita ut ipse MATTH. VIII. 20. fateatur,  
 τὸν διον τὰ αὐθεωπτὰ οὐκ εἶχεν πάντας καὶ φαλλούς κλην,  
 tum omne imperium, licet sibi re vera a mobili  
 vulgo oblatum, aperte renuit & solitudinem petit;  
 (Joh. VI. 15, & Luc. XVII. 20.) & Pharisæo de ad-  
 ventu regni Dei interroganti respondet, βασιλεῖαν τὰς  
 δέεις οὐκ ερχεθαι μετα παρατηρησεώς κ. τ. λ. h. e. regnum  
 num Dei non sic venire ut externus ejus splendor oculis con-  
 spiciatur, aut dicere posit quisquam, en adest hic, en illic.  
 E contrario autem omnes ejus orationes & parabolæ,  
 quibus indolem, progressus & incrementa τῆς βασιλείας  
 τὰς δέεις adumbrat, ejus sunt argumenti, ut satis su-  
 perque indicent regnum hoc esse επιγραντον ac spiri-  
 tuale, in animis hominum versari, per doctrinam  
 ab illo institutam vim suam prodere, & universim  
 ad sincerum virtutis studium excitandum, & cum  
 illo conjunctam hominum felicitatem promovendam  
 unice spectare. Quod cum multis exemplis ex ora-

tionibus Christi desumptis probari possit, tum in primis verissimum fit e responso ejus ad Pilatum, Joh. XVIII. 37. εγω εις την γενηματα, και εις την ελιλυθα εις τον κοσμον, ινα μαρτυρησω τη αληθεια i. e. eo consilio natus sum & luci datus, ut veritatem docerem & meo testimonio eam (hominibus) commendarem.

Ex hac autem Regni Dei indole ac natura facile intelligitur, illud quoque esse universale h. e. ita institutum, ut omnibus hominibus, cujuscunque gentis sint ac notionis, cives ejus regni fieri liceat. Neque non Christus ipse nos eandem rem docet, cum MATTH. VIII. 12. testatur, multos ex omnibus totius orbis terrarum nationibus gaudiis coelestibus fruituros esse εν τη βασιλειᾳ των ουρανων; & MATTH. XXIV. 14. prædictit id fore, ut euangellyion της βασιλειας per totum mundum etiam gentibus (h. e. non Judæis) annunciatum; ac denique MATTH. XIII. 38. affirmat το καλον σπερμα ειναι της νικης της βασιλειας i. e. quibuscumque hominibus, qui veri sint ejus cultores, jura civitatis coelestis impertienda esse; quæ omnia satis probant consilium Jesu id fuisse, ut bona Regni sui in universum genus humanum conferret. Cum autem nonnulla alia, tum dicta, tum facta Jesu, multis ansam dubitandi dederint, quale primum fuerit ejus consilium; hoc loco prætermittere non possumus, quin paucis demonstremus, qua ratione Christus της νικης της βασιλειας Judæos quoque vocaverit; (MATTH. VIII. 12.) quomodo se non nisi ad oves e domo Israëlis deper-

*deperditas missum dixerit; (MATTH. XV. 25.) & discipulos suos ad gentes divertere vetuerit, nec eadem benignitate qua in omnes uti semper ei solitum erat, mulieris Cananææ petitionem exceperit; (MATTH. XV. 26.) quæ omnia, & alia his similia, si ad verbum strictius sumantur, & inimico in sanctam Religionem animo explicitur, nec cum aliis Jesu dictis conferantur, & ad sæculi, quo vivebat Christus, rationem exigantur, occasionem ac speciem quandam ei sententiæ dare videntur, Christi scilicet consilium omnium primum id fuisse, ut quemadmodum Mosaica religionis forma Judæis potissimum destinata esset, si etiam nova ac præstantior Jesu doctrina, quæ gravem cærimoniarum molem tolleret, ad Jehovæ quoque populum, h. e. ad Judæos solos, & unice pertineret; postea autem cum tam contumaciter se contra illum gererent, & tanta impedimenta huic proposito opponerent, Jesum consilium illud mutasse & evangelium suum gentibus omnibus annuncian- dum curasse ac jussisse. Sed speciosa hæc omnia magis sunt quam vera. Primum enim contra hanc opinionem observandum est, id cuicunque doctori cordi esse debere, ut præcepta sua, præsertim si nova sint & eo tendant, ut doctrinas annosa vetustate sanctitas tollant, recte & ad veram ejus mentem accommodate intelligentur. Grave doctoris munus in se suscepereat Christus, quod intra breve triennii spatium ab illo ita perficiendum esset, ut doctrina ejus ven- turis omnium sæculorum ætatibus exemplar maneret.*

Sed fieri non potuit, ut discipulos suos momento ita instrueret, ut mysteriis doctrinæ mox initiarentur, & sine uberiori ejus institutione & adjumento, statim ac se se addixissent, perfectam doctoris personam agere valerent. Quin potius Jesu historia clare ostendit, quam sensim, quam caute illos a laete ad solidiora edulia invitaret: unde colligere licet, id omnino necessarium fuisse, ut discipuli quorum opera ad suas doctrinas divulgandas usurpus esset, cum eo quam sœpisime versarentur, ab illo plenius edocerentur, & quasi sub magistri oculis prima cognitionis tirocinia ponerent: ac cum iidem discipuli testes quoque fierent, non solum doctrinæ ejus, verum etiam vitæ mortisque luculentissimi, fidissimi, quis est qui non intelligat, quare eos sub initia munericis fui nunquam longius a se dimitteret? Deinde voluisse videtur Christus, quod sapientissimum certe fuit consilium, cum ipse longinquas terras pervagandi occasionem non haberet, ut doctrina in Judæa, patria ejus, ubi eam primo plantaverat, altiores radices ageret & ad maturitatem quandam sub propria ejus cultura veniret, antequam ad exterias nationes discipulis nondum bene institutis propagaretur. Porro, superbienti Judæo solenne erat, se *της βασιλειας* nati *διαθηκης* h. e. eum, cui bona foedere cum Deo fæcio unice contingere deberent, vocare, & accommodate ad hunc loquendi usum Jesus quoque Judæos hoc nomine ornat; quo tamen id tantum significare volebat, se, utpote in terra Judaica natum, suæ gentis civi-

civibus omnium nationum primis doctrinam suam tradere velle, non autem eam propriam illis solis ita dicare ac tribuere, ut omnes alias populos ab ejus communione excluderet. Neque non Christo validissimae adfuerunt rationes, cur oves e domo Israëlis deperditas primum reduceret, & panem, si fieri licuisset, exteris gentibus non præberet, antequam Judæis satis cibi dedisset. Artium quidem ac scientiarum laude nunquam ita floruerant Abrahami nepotes, ut cum aliis cultioribus gentibus conferri potuisserent. Sed castiori ac puriori Summi Numinis cognitione ac cultu omnes nationes, ipsos etiam Græcos, longe superaverant. Mosaicis præceptis præparata erat gens Judaica ad perfectiorem cœlestis doctrinæ notitiam accipiendam, & prophetarum admonitionibus, scholis institutis, & Synagogis tota natio rerum divinarum studio ac scrutationi operam dare adsuefacta. Civibus suis optime notus erat Christus: earior igitur illis, quam alienis esse debuit; & januam ad animos eorum a prophetis referatam, Johannes Baptista totam patefecerat. Quibus rationibus inductus consilium cepit Christus primum Judæis doctrinam suam proponere; sed benignissimum illud propositum abrupta Iudeorum contumacia impedivit, & illum dicere coegerit, id mox futurum esse, ut Regnum Dei illis erectum gentibus traderetur. MATTH. XXI. 43. Sed quid refert plura argumenta conquirere? Audiamus clara Christi verba, & ratum nobis erit, jura civitatis ejus ad

totum genus humanum pertinere. Mira orationis  
suavitate ac simplicitate affirmat Salvator Ioh. X. 16.  
καὶ ἀλλὰ προβάτα εχώ, ἀεὶ εἰν εἰ τις αὐλις ταῦτις  
κρησεια με δεῖ αγαγεῖν· καὶ τις Φωνής με ακοσθεῖ, καὶ  
γενισται μιχ ποιμνι, ἐις ποιμνιν; & ΜΑΤΘ. XXVIII.  
19. apostolos hoc modo adloquitur: πορευθεντες  
μαθιτευσατε πάντα τα εδνη, βαπτιζοντες αυτες εις το  
ενομα τη πατρος, καὶ τη υιη, καὶ τη ἄγια πνευματος.

